



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

Urbanus IV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74452)

ANN O
1256.

re potes, ingredere; alioquin liber venisti, liber discede. Insuper felicis recordationis Gregorius Papa Prædecessor noster statuit, ut positi in probatione novitii ante susceptum religionis habitum qui dari profitentibus consuevit, seu ante professionem emissam ad statum pristinum redire possint liberè infra annum & ad omnem ambiguitatem penitus amovendam, cum in quibusdam Locis religiosis novitorum habitus non distinguatur ab habitu professorum, professionis tempore benedicantur vestes, quæ profitentibus conceduntur, ut novitorum, ac professorum habitus discernatur. Licet igitur Zelum animarum habentes, eas lucrari Domino sollicitè cupiatis, quia tamen decet & expedit, ut conscientie puritatis non desit iudicium rationis ne unde spiritalis profectus quæritur, inde salutis dispendium subsequatur, vobis de fratrum nostrorum consilio in virtute obedientie sub pena excommunicationis auctoritate presentium districtius inhibemus, ne ante annum probationis elapsam, qui est maxime in subsidium fragilitatis humanæ regulariter institutus, quemquam ad professionem vestri Ordinis, seu renunciationem seculi faciendam recipere præsumatis, nec constitutum in probatione novitium aliquatenus impedire, quominus infra eundem annum probationis, ad aliam religionem quam maluerit transeat sicut de sua processerit liberè voluntate. Non obstantibus statuto contrario, si quod à vobis est editum, quod irritum decernimus & inane, vel aliquibus litteris à sede Apostolica impetratis seu etiam impetrandis, quæ de præmissis expressam non fecerint mentionem. Quod si forte contra huiusmodi nostram inhibitionem quemquam recipere præsumeritis decernimus eum qui taliter receptus fuerit nullatenus esse vestro ordini alligatum, vosque à receptione quorumlibet ad professionem ejusdem ordinis fore ipso facto suspensos, & insuper pœnæ subjiandos, quæ fratribus ipsius ordinis pro culpis infligi gravioribus consueverit. Nulli ergo &c.

Datum Lateranis III. Nonas Maji Pontificatus nostri anno II.

VI.

Ex Anecd.
Martene
Tom. I.
Col. 1068.

Quod nullus Prælati possit Fratres Prædicatores ad secum manendum, & sua negotia procuranda assumere: anno 1256.

ALEXANDER EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei dilectis filiis Magistro & fratribus Ordinis Prædicatorum Salutem & Apostolicam benedictionem.

Petitionibus vestris tam piis quam providis paternæ benignitatis gratia, quæ filiis utiliora prospicit, assensum benivolum impendentes, ut nullus legatus nisi de latere nostro missus auctoritate litterarum sedis Apostolicæ specialem de presentibus non facientium mentionem, aut Prælati aliquis de fratribus vestri ordinis ad sua seu Ecclesiæ suæ negotia procuranda, vel secum manendum, aliquos assumere valeat, nisi quos prior provincialis ipsorum ramquam idoneos & discretos sibi duxerit, quosque subiacere volumus ordinis disciplinae auctoritate vobis presentium indulgemus. Nulli ergo &c.

Datum Lateranis II. Idus Maji Pontificatus nostri anno II.

URBANUS QUARTUS
PONTIFEX CLXXXIV.

ANNO DOMINI MCCLXI.

Urbanus Trecentis, nomine Jacobus Pantaleo, obscuro genere ortus, successit Alexandro IV. anno 1261. Crucem contra Manfredum, qui se Sicilia Regem fecerat Pontificibus infestum, sumi iussit. Dein Orvetum secedens Carolum Comitem Andegavensem in Italiam vocavit, utriusque Sicilia Regem illum facturum. Festum postea Corporis Christi, quia in Longobardiâ sacrificio incredulo sacris operante sanguis ex Hostia profluxerat, instituit. Obiit anno 1264. (*Magni Bullarii Romani, Tom. I. hujus Editionis Luxemb. 1727. fol. 120.*)

Collegia Begghinarum, & Reclusarum Diocesis Leodiensis in suam potestatem suscipit: anno 1261.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, universis Collegiis Begghinarum, & Reclusarum Leodiensis Diocesis, salutem & Apostolicam Benedictionem.

Sedes Apostolica devotas, & humiles filias ex assuetæ pietatis officio propensius diligere consuevit, & ne pravorum hominum molestiis agitentur, eas tamquam pia mater suæ protectionis munimine confavere.

Ea propter dilectæ in Christo filia vestris postulationibus annuentes, personas vestras, & Loca, in quibus sub communi vita degitis, cum omnibus bonis, quæ in presentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum iustis modis, Domino dante, poteritis adipisci, sub Beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & præstatis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum hanc paginam nostræ protectionis liceat infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum se noverit incursum. Datum Viterbii nonis Julii Pontificatus nostri anno primo.

Alterum in favorem Begghinarum Leodiensium: anno 1261.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei dilecto filio Decano Leodiensi salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Primum esse dignoscitur, ut gloriantibus in malitia per nos taliter obstitatur, quòd repressis eorum insultibus vacantes Divino cultui liberius possint in observantia mandatorum

ANN O
1261.I.
Ex Op.
Dipl. Miræi
Tom. I.
Pag. 429.II.
Ex Op.
Dipl. Miræi
Tom. I.
Pag. 430.

ANN O
1265.

Domini delectari. Cum itaque dilectæ Filie Beghinæ & Reclusæ Leodiensis Diocesis à nonnullis, qui nomen Dei recipere in vacuum non formidant, prout accepimus, diversis affligantur molestiis, ea pressuris, nos earum providere quieti, & malignorum malitiis obviare volentes, discretionibus per Apostolica scripta mandamus, quatenus præfatis Beghinis adversus raptorum, prædonum, & infautorum audaciam efficaci præsidio defensionis assistens, non permittas ipsas in personis, & Bonis suis, ac litibus molestari, molestatores hujusmodi per censuram Ecclesiasticam, appellatione postpositâ, compescendo, præsentibus post triennium minime valituris.

Datum Viterbii quinto Idas Julii Pontificatus nostri anno primo.

ANN O
1265.

CLEMENS QUARTUS,
PONTIFEX CLXXXV.
ANNO DOMINI MCCLXV.

Clemens Gallus anno 1265, prius Guido Grossus vocatus, arma tractaverat, dein juri operam dedit: Uxore mortuâ, Cardinalis in Angliam missus, absens Papa electus, & Viterbii coronatus est. Trium annorum, & decem mensium fuit Pontifex. (*Magni Bullarii Romani, Tom. 1. hujus Editionis Luxemb. 1727. fol. 133.*)

†
Ex Spicil.
d'Acheri
Tom. 3.
Pag. 648.
nova edit.

Declarat ac decernit Angliæ Regem, ac Filium ejus Edmundum Regni Sicilia veros nunquam fuisse possessores: anno 1265.

Litteræ CLEMENTIS Pape IV.

CLEMENS EPISCOPUS,
servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

OLim Regno Sicilia ad dispositionem & ordinationem Apostolicæ Sedis, ad quam specialiter pertinet cum juribus, districtibus & pertinentiis suis plenè, ac liberè devoluto, ac Sede ipsa circa statum ipsius Regni sollicitè cogitante, illiusque Regimen alicui Catholico, & devoto Principi capiente committere, qui ad laudem Dei honorem, & pacem Ecclesiæ, ac tranquillitatem, & profectum fidelium ipsius Regni ejus solio præsideret, tandem inter Sedem ipsam, & Clarissimum in Christo filium nostrum Henricum Illustrè Regem Angliæ, de Regno ipso in feudum dilecto filio nobili viro Eadmundo eju dem Regis nato, sub certis conditionibus concedendo habitus est tractatus. Et quia Rex ipse multa ergà Romanam Ecclesiam devotione resulget, summeque genus fidei semper claruit puritate, providit tunc Sedes ipsa, cum eodem Rege tractatum hujusmodi consummare, undè relato, & exposito ex parte ipsius Eadmundi felicis Recordationis Alexandro Papæ quarto prædecessori nostro, quod dilectus filius Magister Albertus, Notarius noster tunc Apostolicæ Sedis Legatus eidem Eadmundo & hæredibus suis prædictum Regnum Sicilia, ac totam terram quæ est circa Farum, usque ad confinia terra-

rum ipsius Ecclesiæ Romanæ cum omnibus juribus, honoribus, districtibus, & pertinentiis suis (exceptis civitate Beneventana, cum ipsius Juribus, & pertinentiis universis) in feudum de speciali auctoritate, & mandato felicis recordationis Innocentii Papæ quasi prædecessoris nostri concesserat, salvis Libertatibus, & immunitatibus Ecclesiarum prædictorum Regni, & terræ, tam in electionibus, quàm in aliis spectantibus ad easdem.

Quodque idem Innocentius Prædecessor concessionem hujusmodi suppleto defectum si quis in ea fuerit de plenitudine potestatis auctoritate Apostolica confirmarat, eidem Eadmundo Regnum, & terram prædicta in feudum de novo concedens, prout in suis Litteris dicebatur plenius contineri: Præfatus Alexander prædecessor, concessionem, & confirmationem hujusmodi sub conditionibus in Privilegio Apostolico indè confecto expressis, ratas & gratas habeas, ipsas de Fratrum suorum approbavit consilio, & assensu, & sub eisdem conditionibus, illas auctoritate Apostolica innovans, Regnum, & Terram prædicta cum omnibus Juribus, & pertinentiis suis, de Fratrum ipsorum consensu dicto Eadmundo ac ejus hæredibus utriusque sexus, in feudum sub eisdem conditionibus perpetuò concessit, & etiam confirmavit. Reservavit autem expressè in eodem privilegio sibi, & in sua voluntate, & potestate remansit, dicere, pronunciare vel proferre in scriptis, vel sine scriptis, de consilio vel sine consilio Fratrum suorum prædictis Rege, & Eadmundo, ac alio etiam quocumque, cujus forsitan interesset, nequaquam vocatis, & absque omni Juris solemnitate, approbationem, innovationem, concessionem, & confirmationem hujusmodi, quas præfatis Eadmundo, & hæredibus, sub certis conditionibus faciebat, vacuas omnino esse nullamque robur, vel valorem habere, aut revocare, cassare, & irritare ipsas, & cassas, & irritas nunciare, si memoratus Rex, quasdam ex dictis conditionibus, statutis, terminis non impleverit, ita quod post hujusmodi pronuntiationem, seu irritationem, vel dictum præfata approbationem, innovationem, concessio & confirmatio, nullius essent, vel haberentur effectus, vel momenti.

Et licet prædicta sedes plurimum affectaverit, adhibendo quam potuit diligentiam, quod ipsius Regni negotium pietatis Rege ac Eadmundo prosequentibus illud, laudabiliter proficeret, & per illorum studia, & auxilia successibus convalesceret prosperis, & processibus promoveretur operatis, idque diutius exuberante, circa ipsos Apostolica gratia, non sine innumeris, & magnis dispendiis, gravibusque periculis, & dolenda jactura ejusdem negotii expectaret, eis tamen omnino deficientibus, nec opem, aut operam promotioni dicti negotii præsentibus opportuna, neque conditiones adimplentibus supra dictas, ipsum negotium sperare suffragiis, non adjutum, & continuis impugnatum adversis, profectum non habuit, sed multis debilitatum defectibus periculose languit, Ecclesia incurrente ac sustinente per hoc maxima detrimenta.

Quia igitur manifestum est, & notorium, prædictas non fuisse conditiones impletas, & liberum est nobis, & in nostra voluntate, ac potestate consistit, eisdem conditionibus non impletis, dicere pronuntiare in scriptis, vel sine scriptis, de consilio, vel sine consilio fratrum nostrorum, prædicto Rege, ac Eadmundo, & quocumque alio non vocatis, & absque omni Juris solemnitate, præfatas approbationem, innovationem, concessionem & confirmationem vacuas proffus esse, aut revocare

ipsas

ANN O
1265.